Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26479
Copyright: Admont, Benediktinerstift

do carus gessit cum bestia considerabat. et surgens
prostravit se ad pedes eius et dixit. Nunc scio vere dominum
esse tecum. quoniam et bestie heremi obediunt tibi.
Ille autem dixit ei. Cave. ne omnino hoc alicui
dixeris. donec videas gloriam dei.

Nocte transacta. cum lux aurea silvarum
illustraret opaca. diaconus ait. Pater mi. quid
facturi sumus hodie. At ille respondit. Obsecro te fili.
ne moleste feras quod dico. Quia dominus nos fecit
quod quesivimus invenire. hunc et iam diem in hoc
loco ducamus. Tolle rete. et ad gurgitem vade.
Ego quoque post te quantocius ibo. forsitan dominus
solita nobis largitate ostendet. ut regredien
tes ad castrum. offeramus patri nostro presbitero de
hoc loco benedictionem. quam dominus nos inve
nire donavit. Diaconus respondit. Gratum habeo quod
precipis pater. Et surgens cito cum invocatione
nominis domini. assumpto reciaculo. perrexit ad
fluvium. Cumque illud in gurgitem mittere volu
isset. duo demones in effigie mulierum steterunt